UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi, Explanatio Catechismi Catholici

Macherentinus, Johannes

Colon., 1612

Quibus diebus per annum abstinendum à carnibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39397

Visual Library

LI.

QVIBVS DIEBVS PER ANNVM à carnibus ſit abſtinendum?

Singulis hebdomadibus in tota diœceſi Treuirenſi, maiorum conſuetudine abſtinendum à carnium vſu feria ſexta & Sabbatho, niſi in alterum horum incidat Natiuitas Chriſti: neque Sabbata inter Domini natiuitatem, & virginis purificationem venientia, à dicta abſtinentia lege eximuntur.

In feſtis B. matris Dei, vnicum eſt aſſumptionis, in cuius vigilia ex præcepto Eccleſiæ eſt ieiunandum. In reliquis, quæ in foro celebrantur, præueniunt multi ſolennitatem ieiunio, non ex obligatione: ſed pia ac valde laudabili, in virginem deuotione.

Omnes autem, etſi non ieiunent, à carnibus continent; quod, vt laudabilis conſuetudo, merito retinendum.

In die S. Marci Euangeliſtæ propter publicas preces non veſcimur carnibus, niſi forſan in paſchalem hebdomadem incidat.

Feria 2.3.& 4. rogationum, quæ Domini aſcenſionem immediatè præcedunt, ſimilis ſeruanda abſtinentia.